



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 57. Lis de Castella Cæsarem inter & Arragoniæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Secl. XV.
A.C. 1509

ut promptiori via jus sibi met ipsi diceret, cunctos redditus beneficiorum, quæ a Prælatiſ Curia Romanæ in Mediolanensi ditione possidebantur, auferri præcepit. Julius indignitate facti graviter in Regem concitatus, Albiensi Episcopo, qui Romam Pontificis fide munitus venerat, purpuram concedere recusavit: id vero non nisi infirmum erat vindictæ genus, quapropter Ludovicus hac super re Pontifici haud amplius molestus esse voluit, persuasus, si cæptis firmiter insisteret, certo, si non animum, saltem consilium a Papa mutatum iri: nec sua Regem fefellit opinio; quippe summus Pontifex Regi, cujus major longe erat pertinacia, ultro cessit, ac Provinciae Episcopatum Præfuli, quem Rex nominaverat, contulit, id quoque se imposterum facturum spondit. Præterea etiam cum Rex Mediolanensibus Ecclesiasticos suorum beneficiorum redditus restitueret, Albiensem Episcopum Cardinalium galero decoravit.

§. LVII.

Lis de Castella Cæsarem inter & Arragoniæ Regem.

*Marian. lib.
29. num. 20.
Guicc. l. c.*

Opportune Venetorum rebus acciderant suscitata Papam inter & Regem dissidia, quæ ipsi in rem suam vertentes

tentes in Julii gratiam redire mollebantur. Sub idem quoque tempus ob Castellæ administrationem inter Maximilianum, & Ferdinandum Arragoniæ Regem ingens orta est contentio, qua de novo Respublica probe in suum commodum utebatur. Jam dudum varia ambos hosce Principes conciliandi quærebantur media; verum id gravioris moliminis negotium erat; quippe quivis eorum solus sibi regni hujus administrationem vindicare conabatur. Promiserat equidem Ferdinandus, quod Carolo Archiduci Nepoti suo, quamprimum vigesimum ætatis annum attigisset, ac Joanna Regina fatis concessisset, regimen esset redditurus; id enim Isabella Regina testamento caverat, necnon Regni jura expetebant; ast quamdiu Joanna ejus filia superstes esset, Rex regni procurationem sibi relinquendam contendebat, affirmans, patrio jure, omniumque legum præscripto illius tutelam sibi deberi, nec Isabellæ Reginae testamentum ullatenus hujus juris firmitatem infringere: Unde testamenti tabulis, quatenus suis commodis servirent, stare, ac clausulas suo proposito adversas pro libitu mutare decreverat.

Sæcul. XVI.
A. C. 1509.